

Dissertatio medica inauguralis de incontinentia urinae ... / [Johann Christian Grau].

Contributors

Grau, Johann Christian, 1679-
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Mullerianis, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ehmzphyf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

42
22
2. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
INCONTINENTIA URINÆ

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VILIELMO HENRICO

VICE SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ
GVESTPHALIÆ ET RELIQUA

FUSSU ET AUTORITATE

ILLUSTRIS MEDICÆ FACULTATIS

IN ACADEMIA JENENSI

SUB PRÆSIDIO

D. HADRIANI SLEVOGTII

HÆRED. IN Ober-Kosla

M. D. ANAT. CHIR. ET BOT. PP. ITEMQVE MED.

DU. PROVIN.

PATRONI ET PROMOTORIS SUI HONORANDI

PRO LICENTIA

DOCTORIS GRADUM ET PRIVILEGIA

MORE MAJORUM OBTINENDI

PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ EXPONET

JOANNES CHRISTIANUS Grave

ROMHILDA FRANCUS

IN AUDITORIO MAJORI

HORIS ANTE ET POMERDIANIS CONSUVETIS

AD DIEM XXX MART. A. O. R. M D CC VII.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS

D O M I N O

H E N R I C O,

D O M I N O

J O H A N N I E R N E S T

F R A T R I B U S G E R M A N I S,

DUCIBUS SAXONIÆ . JULIACI, CLIVIÆ, A
MONTIUM, ANGARIÆ ET WESTPHA-
LIÆ, LANDGRAVIIS THURINGIÆ, MAR-
CHIONIBUS MISNIÆ, PRINCIPALI DI-
GNITATE COMITIBUS HENNEBER-
GIÆ, COMITIBUS MARCÆ ET RA-
VENSBERGÆ, DYNASTIS IN RAVEN-
STEIN,

PIIS, FELICIBUS, AUGUSTIS,

PRINCIPIBUS AC DOMINIS SUI
CLEMENTISSIMIS,

HANC DISSERTATIONEM
SUBJECTISSIMA ET HUMILLIMA DEVOTIONE
OFFERT

IOANNES CHRISTIANVS Grav.



Q. D. B. V.

§ 1.



INCONTINENTIA URINÆ est symptoma actionis organorum, collectioni & retentioni ejus inservientium, læsæ, qua, scienti pariter ac nescienti, ea præter voluntatem, per consueta loca perpetim exstillat, vel per intervalla effluit, propter sphincteris tonum, quacunque ratione debilitatum vel destructum.

§ 2. Galeno audit hic affectus ἀκρίσιος ἐκκρίσις τῶν ὕδρων, *invita excretio urinarum*; Fernelio, Senner-to aliisque, *miçtio involuntaria*, quam Paulus Ægineta, (Galeno, cujus simia appellatur, minimum 240 annis inferior), ἐνέρησις vocat; unde hoc malo laborantes ἐνερῆντες, & teste Solenandro, a Jurisperitis *Im-mingentes* appellantur, unico quidem & Latinis minus probato vocabulo, sed græcæ tamen significationi magis respondente, quam si cum Nic. Pisone, lib. 3, de morb. cogn. & cur. c. 41, p. 364, οἱ ἐνερῆντες in seipsis *mingentes* salutarentur, aut quod nonnullis placet,

Damnes vox inter synonyma traheretur: siquidem ἡ διαμονή, prout a διαμένω, *persevero*, *maneo* derivatur, respectu lotii, non nisi κατ' ἀντίφρασιν huic ægritudini competeret.

§ 3. Cum autem in allata descriptione, generis loco, *actionem lesam* adhibuerimus, & per eam, verbis Sennerti, Pr. lib. 3, part. 8, s. 2, cap. 6, p. 884, *depravatam mictionem, qua urina homini, præter voluntatem, non opportuno loco, & tempore non expectato effluit*, intelligamus, minus bene infantes ἐν γένεσιν classi involuntarie mingentium inseruntur, quos, reliqua sanos, propter intellectus usum nondum concessum, decorique ignorantiam, neutiquam expultrici facultati resistere velle, quin potius nulla habita loci temporisque ratione, ex quovis urinæ, exitum molientis, stimulo emissionis opportunitatem capere, verosimile videtur.

§ 4. Neque etiam ex *stranguria* aut *diabete* ægrotantes censum hunc ingrediuntur. Cum enim, ibi, sec. Aetium, *paulatim & guttatim urina destillent, & assiduam ad mingendum irritationem faciant, ita tamen, ut ista emissio fiat quasi cum voluntate sphaincteris, sese ab irritante acri urina haud sufficienter aperientis*; hic vero, ad mentem Aretæi, non id solum, quod bibitur, protinus crudum mingatur, sed humor etiam a renibus ex colligato toto corpore trabatur: hinc quamvis hisce malis occupati matulam semper in manu habere obligentur, & quia ipsis lotium minime ex voto procedit, omnino sibi sicca genitalia pro tempore exoptent, consentiunt tamen in emissionem, a stimulo
lo co-

lo coacti, possuntque rursus effluxum aliquandiu cohibere: cum, contra ea, proprie sic dictis *immingentibus* nulla istiusmodi stillicidium reprimendi potestas relinquatur. Abuti igitur videtur experientissimus Hildanus vocabulo *incontinentia*, quando Cent. 6, observat. 53, Civem Bernensem, ex calidioris trageæ usu, & observ: 55, Friburgensem ex arthritide & senio singulis fere momentis urinam acrem reddere coactos, eadem laborasse scribit: siquidem eos stranguria acerbiori correptos fuisse, & neutquam inscios aut nolentes vesicas evacuasse, ex relatione constat; quatenus etiam coacta redditio non sine reddentis voluntate accidit.

§ 5. Hinc recte apud Solenandrum, Consil. medicinal. sect. 4, distinctis in locis, & tanquam de diversis symptomatibus agitur, quando consil. XI *lotii incontinentia*, qualem § 1 delineatam dedimus, exponitur; in sequente autem consilio 12 de ea *urinam retinendi imbecillitate* agitur, quando quis vel non satis diu, & ad consuetum tempus, mictum differre valet, vel, quod potatoribus usu venire solet, post semel usurpatam matulam, denuo & crebrius ad eandem invitatur; ita tamen, ut nihil præter voluntatem effluat, sed excrementum omne asservetur, quamvis non diu, & cum molestia id fiat, sitque præterea istiusmodi affectus index humorum acrimoniæ, aut debilis sphincteris, & viam ad veram incontinentiam in iis sternat, quos cacochymia, aut senio fractus vesicæ tonus ipsi idoneos reddidit.

§ 6. Ut autem mali indoles penitus innotescat,

ideo multiplices ejus species, in diversis subjectis occurrentes, nunc producendæ sunt. Quamvis enim in eo omnes ægroti conveniant, quod inviti mejant; accidit tamen id ipsum aliis tantum in somno & nescientibus, aliis interdium magis, & rursus aliis utroque tempore. Quæ circumstantiæ non leve adminiculum, pro inveniendis atque æstimandis causis, formandaque prognosi ac curatione, largiuntur; ut Jureconsulti quoque inde servum, noctu tantum immingentem, utpote a somni phantasia delusum, non æque vitiosum statuunt, ac si interdium quoque, ex vesicæ morbo, vestes conspurcasset.

§ 7. Præter has species non parum interest nosse, an æger continua stilla rigetur, an vero per vices tantum in vesica collectam urinam profundat, & utrum idem nescio, an per stimulum, plus minus tristem, excitato, an porro stanti magis & cubanti, quam corpus valide moventi, vitium accidat. Ubi simul corporis quoque status, & motus animi considerari debent, ut certi fiamus, an causæ internæ, an potius externæ accusandæ sint.

§ 8. Nec alienum a scopo erit, inter *proprie* & *improprie* dicendam incontinentiam distinguere. Quamvis enim non æque cum celeberrimo Ettmullero eam tantum speciem, quæ a sphinctere læso dependet, *propriam*, sive, secundum Mercatum, lib. 4, de cur. morb. int. c. 15, p. 420, & consil. 18, p. 103, *legitimam*, reliquas autem omnes *improprias spuriasque* vocare audeamus; ansam tamen inde capimus, illos casus, ex mictionis involuntariæ, prout ea nostræ considera-

derationis est, sphaera remove, quando e. g. ex obstructione ureterum urina per cutis poros sudat; quod, ante lustra aliquot, hic loci Theologo seni, Andrea Wigando, a calculis, ex acidularum vini que rhenani potu in pelvis infundibulum pulsus, accidisse, ex disput. de Calculo B.D. Faschii constat: aut quando eadem, ex observatione DD. Præsidis, per urethram, a calculo in puero bimo obstructam, & in parturiente a foetu in utero compressam, exitum non inveniens, ex umbilico profilit; in eorum considerationem, qui urachum in homine impervium statuunt: aut quando per vulnus vesicæ, aliave naturæ minus consueta loca, in § 1 expressis verbis præsupposita, ejicitur.

§ 9. Hisce præmissis non opus videtur, per peculiaris signa de τῶ ὄτι aegritudinis multum laborare; utpote vel in tacente ægro cognoscendo; quando ipsum *invitum*, interdium, pro re nata, noctuque, perpetuo vel per vices, scium insciumque, obscæno latice per genitalia pollui deprehendimus: neque arduum erit, post evolutionem causarum hariolari, quænam ex eis hic illic potissimum attendi mereatur, simulque idiopathicum affectum a sympathico discernere: majoris autem momenti res existet, per certa indicia subjectum & sedem morbi, hujusque *dióti* patefacere, imprimis ubi ægri & adstantes vel nequeunt, vel nolunt ad quæsitæ Medici respondere.

§ 10. De Subjecto *ut quod* equidem nullum dubium est, utrumque sexum & quamvis ætatem vitium hoc incurrere posse; præ reliquis tamen senilis magis eidem obnoxia invenitur. Neque est, cur cum

Primerofio aliisque in pueris, ob nervorum atque fibrarum muscularium tonum tenerum, profundumque somnum, & voluntatem, a phantasiæ imaginibus facile decipiendam, majorem aptitudinem, quam in adultis statuamus: quando cogitamus, recentiora corpora nondum ea humorum acrimonia pollere, qua vetustiora turgent, præterea eorundem fibras motrices ad spasmos magis, quam resolutiones pronas esse, nec, secundum § 2, quemlibet mictum in somno rebus præter naturam accenseri. Cum contra ea *media & ultima ætas* a nulla causarum specie, *primæ* retentricem facultatem turbante, immunis sit, & imprimis senes, ex naturæ quadam lege, per sensim decrescientes corporis animique vires, ad mortem præparati, simul ex diuturnis diætæ nocumentis ad plurimos morbos disponantur, & plerique eorum, ex vesicæ debilitate, lotium pleno radio extrudere nequeant, non pauci vero a sphincteris hiatu perfectam incontinentiam incurrant, vel saltem ex ejusdem tardiori post mictum constrictione, femoralia conspurcando, mutatum eorum colorem ingratumque odorem reportent.

§ II. Subjectum *ut quo* est vesica, viscus infimi ventris, susceptioni, retentioni & expulsionì urinæ destinatum, & ob triplicem hunc usum, præter membranaceam, extensioni aptissimam substantiam, simul *muscularium fibrarum* varia textura instructam, quarum tonus & modus agendi licet in constrictione, five *elatere ad intra* unice consistat, diversissimum tamen quæ vesicæ membranis intexuntur, a cervicem cingen-

cingentibus, situm non solum obtinent, sed etiam officium prorsus contrarium animali præstant. Quippe ne, verbis Philippi Verhayen, C. H. anat. Tr. 2, c. 18, *lotium continuo stillet e vesica, præcavet musculus sphincter, cujus fibra osculum cervicis oblique ambientes, illud in statu naturali semper tenent clausum, donec urine quantitate, partium abdominis compressione, ac tunica musculosa constrictione actio ejusdem musculi superetur.*

§ 12. Exerit itaque hæc vulgo sic dicta *musculosa tunica*, inter exteriorem membranaceam peritonæi, & interiorem, ex nervorum, vasculorum, glandularumque concursu contextam, latens *antagonista* quasi sphincteris munus; quem in finem non quidem, ut libellus, *Essais d'Anatomie* dictus, tradit, ex rectis circularibus & transversalibus fibrarum carnearum serièbus construitur, multominus, ut Physiologus insignis putat, in ea *unicus tantum, isque longitudinalium ordo*, qualem sc. Casserius, Spigelius & Verhayen, a fundo ad cervicem excurrentem, obiter & minus sufficienter delineatum exhibent, cernitur; sed occurrunt, in mediocriter inflata vesica, præter recta incidentium fasciculos, etiam oblique & transversim excurrentes, a quibus non solum fundus ad cervicem ducitur, sed & latera undique contrahuntur.

§ 13. Falluntur igitur, qui, ad Pisonis mentem, l. c. vesicam non secundum *propriam essentiam* seu corpus, sed tantum quoad sphincterem, ejus cervicem constringentem, affici credunt. Etsi enim mictio involuntaria interdum solius hujus musculi circularis

culpa eveniat, nullo in vesicæ reliqua substantia vitio existente: nihil tamen impedit, quo minus aliquando hujus parietes eo usque spasmodice contrahantur, aut a pondere incumbente comprimantur, ut istius robur ad retentionem non sufficiat, & præter voluntatem subjecti *ut quod*, liquori contento transitum concedat: sicut contra ea Zacutus lib. 2, Medicor. princ. hist. 146 & 147, Galeni, Pauli & Avicennæ autoritate nixus, ex torpore & resolutione vesicæ suppressionem urinæ nasci docet.

§ 14. Possent hæc circa causarum inventionem occupato occasionem præbere, ut duplicem incontinentiæ originem stutueret; quarum una potissimum, ad vesicam, immodica sua constrictione sphincteris actionem irritam reddentem, attineret, altera in janitoris hujus tono, quacunque ratione debilitato destructoque fundaretur: sed præstat entia, præter necessitatem, non multiplicare, adeoque modo nominatum præter natural. sphincteris statum, vel, veterum stylo, facultatem retentricem imminutam abolitamque pro immediata causa habere. Cum autem hæc Medico vix sufficientem agendi indicationem præbeat, affectusque ipse, prout symptoma est, a morbo, ut umbra a corpore, dependeat; morbi vero non tantum intemperiei, sed conformationis quoque læsæ, & solutæ unitatis involuntariam lotii profusionem, ut causæ mediatæ proximiores producere valeant, hinc qua ratione unusquisque illorum concurrat, & a rebus medicis accieatur, dispiciendum est.

§ 15. Inter intemperies humida & frigida imprimis,

primis, hinc & calida *δυσκράσια* salinaq; acrior humorum actioni sphincteris adversæ sunt, sive a nativitate tales, sive aliunde introductæ fuerint. Cum enim a calore blando, & humido vitali dulci, animalique elatere omnis vigor partium, rite conformatarum, pendeat, necessario inopiam dulcis humidi, & sulphuris in eo, a volatili sale bene vel nimis explicati, debilitas earum excipit. Hinc minus quoque talismodi affectus in senili ætate, quam in reliquis, ob rationes modo & § 10 allatas, rarus est. Siquidem senes frigidi non solum sunt, sed quamvis sicci appellentur, humorum tamen non utilium quidem & alibilium multitudine, sed sua mole particulas activas sanguinis supprimentium, fibrasque motrices relaxantium, abundant; quibus sæpenumero acredine salina, plus minus sulphurea pollentes, & urinæ communicati, vesicam ad spasmodicas contractiones, lotiique incoercibiles expressiones disponentes, accedunt.

§ 16. Quales equidem in infantibus etiam, ad inducendum mictum vitiosum, locum habere possunt, cum insuper eorum corporum constitutio, respectu adultorum, naturalem aliquam debilitatem inferat: sed *ut plurimum* tamen illi ex negligentia potius, quam per intemperiem peccant, vel instar ebriorum ab imagine phantasiæ illusi, tum se ad parietem, vel in matulam mejere credunt, per fibras musculares vesicæ & urinæ pondus sphincterem aperiunt.

§ 17. Quod si porro in causas, temperiem vitiosam toti non minus corpori. quam vesicæ inferentes inquirimus, maximum momentum non solum in

frigore atque calore ambiente, inque pulmones influente, sed in reliquis etiam *rebus non naturalibus* actu, ut loquuntur, & potentia humorum consistentiæ & qualitatibus corpori ineptis, hinc calori vitali, partiumque tono adversantibus, consistere deprehendimus. Caloris enim nimii mos est, humores fundere, cruditates exagitare, per fugam subtilioris humidi, particulas salino-sulphureas temperantis, has ipsas ferociiores, & ad irritationes aptiores reddere. Quomodo autem ex intemperie frigida & humida urinæ suppressio pariter ac incontinentia orientur, scite docet Riverius, Lib. 14, c. 7, & ante ipsum Mercatus, lib. 4, de cur. morb. c. 15, discursum ita claudens. Sicuti frigidi est *condensare* (spiritus animales & canales) *dum extrinsecum occurSAT*, ita *mortificare*, *dum intus permeat*, maxime si cum humiditate jungitur. In exemplum adducitur tantum non ab omnibus Piscator ille, ex Galeni lib. 4, de loc. affect. c. 5, cui, diutius in aqua commoranti, vesicæ & alvi excrementa invito egrediebantur, recensetque Forestus lib. 10, obs. 92, incontinentiam urinæ, ex paralyfi vesicæ, virum, diutius natibus & lumbis nudis in navicula versatum, occupantem.

§ 18. Ex assumtis refert Fonsæca, Tom. 2, Cent. 97, potum frigidum & fructuum nimium usum inter causas hujus mali procatarticas; quatenus scilicet calori ventriculi atque vesicæ inimici sunt: quorsum & esculententa potulentaque acida, falsa, nitrosa, acria, nimis spirituosâ, temulentiam inducentia, nec non frequentiora diuretica, in destruendo vesicæ tono nulli inferiora

riora, pertinent, ut suo malo expertus est apud Forestum, lib. 25, obs. 21, Religiosus, ex nimis lithontripticis lotii retentione privatus. Miles, capellam, per ononidis radicem cum vino a dysuria liberatam videns, biberat ℥j vini, cum ejusdem radicis man. j cocti, a cujus prima dosi ventris inflationem, a tertia autem dolorem hypogastrii percepit, cum fragore istius loci, subsequente incontinentia urinæ: quam etiam a Cassia viderunt Zacutus & Hildanus, ex aliis erroribus alii. Ab allio, in vino macerato, & a cive oppidano ad calculum movendum, hausto, eam D. D. Præses observavit; qui idem quoque malum studioso, spiritum vini, rad. raphan. mar. & cochleariæ superfusum, contra scorbutum per dies aliquot cochleatim bibenti, accidisse refert, ut, post mictum sanguinis dolentissimum, urinam, cum animi deliquiis, involuntarie emitteret. Vetula Camburgensis, quoties hælecibus, acidis aut vino utitur, toties urinam non nisi corpore inclinato sedens continet, qua cubans stansque continuo stillat.

§ 19. Quid *motus* corporis nimius *vigiliæque*, & rursus *quies somnusque* protractiores, cum *affectibus animi, excernendisque retentis*, una ex parte in humoribus commovendis exasperandisque, ex altera vero in cruditatibus cumulandis, vigoreque vitali & animali supprimendis, adeoque tono enervando valeant, notius est, quam ut prolixiori explicatione indigeat. Quapropter unam alteramque saltem historiam adduxisse sufficiet, antequam ad alia trans-eamus. Novit enim D. D. Præses utriusque sexus

subjecta, vectionem in curru atque equo, non tam propter vertiginem, nauseam, vomitus, & renum, calculo refertorum, lacerationes mictumque cruentum, & herniarum dolorificum augmentum, quam spurci urinæ stillicidii causa, per totum iter inde tolerandi, recusantia. Quis ignorat tussis, clamorum, vomituum atque cachinnorum, per diaphragma quassata intestina versus vesicam impellentium, vim in exprimendo lotio, & hinc sordida non tantum in obesorum & gravidarum, sed aliorum quoque hominum indusiis vestigia. Ira extrudit urinam non minus, quam terror, ut in proverbis plebis eorum energia abierit. Studioso Theologiæ excusserant bis terque terror & metus, ex hæsitazione in suggestu orti, urinam, ipso non animadvertente, donec mador tibialium atque calceorum pluviam impuram testarentur. Hunc sola nervina, intus forisque adhibita, a desertione studii homiletici, in quo plurimum valebat, retrahebant.

§ 20. Cum natura, in excretionum suarum moliminibus turbata, ut plurimum insueta loca eligat, & e. g. menstruum atque hæmorrhoidalem sanguinem per pectus, nares, mammas, oculos, &c. ferumque per sudorem aut salivam expellat; hinc ex vicinitatis jure, vasorumque communione, interdum in vesicam etiam aliquid mali ex utero obstructo redundare credimus, ut humidi, in reliquo corpore superflui, solito majorem copiam in suam cavitatem recipere cogatur, sphincterisque tonus labefactatus isti retinendæ non sufficiat. Probabilitatem sententiæ hujus supeditat

peditat experientia, urinam in naturali statu ex qualicumque sudoris, salivæ, lactisque suppressione augeri. In præter naturali autem constitutione materiam peccantem, in uno excretionis loco impeditam, inde ad alterum quasi vagasse, & tandem urinarias officinas occupasse, clarum & memorabile specimen ex Mercati Consult. 18, p. 100, depromemus, qua Florianum de Acosta, post longam falsuginosamque sputationem suppressam, primum in diabetem, deinde in dysuriam, hinc ardorem urinæ, mox stranguriam, & postremo urinæ incontinentiam incidisse, constat.

§ 21. Vesicam autem ab adjacentibus partibus, in excretionis opere versantibus, in consensum rapi posse, ut & ipsa contenta sua reddat, probat non solum in virili sexu immediate ipsi substratum, in sequiori vero per nervos & membranas adnexum intestinum rectum; sed aliud quoque non adeo frequens exemplum viri phlegmatici, in coitu simul cum semine lotium in arum genitale effudentis, & propter elotam hoc pacto prolis spem, sterile conjugium metuentis: quem D. D. Præses ab intempestiva mictione, & turpi profanatione loci, nobilissimo generationis operi consecrati, per coenam siccam, & unguentum nervinum, balneumque roborans liberavit.

§ 22. Rebus non naturalibus merito accersenda est prava in lectum mingendi *consuetudo*, cujus plures una specie dantur. Quandoquidem a nativitate debilem sphincterem habentes, & in primis adolescentiæ annis ebrietati indulgentes, nequeunt, si semel iterumque in somno urinam indecenter emisissent,

eandem, simili data occasione, cohibere, quin potius stata hora, modo cum insomniis, modo absque iisdem in stragula mingant; novimusque nonnullos, qui postmodum ne vigilantes quidem sicci manserunt, quamprimum intellectus eorum a vaporibus inebriaminum ineptus evasit, inter vesicæ, latice repletæ, facultatem retentricem atque expultricem moderamen observare. His aliquando similes sunt, qui vel negligenter educati, vel plus quam brutali morum, sorditie infecti, vix ad decus & munditiem, nisi per remedia vel *moralia*, ingenuis animis ruborem elicientia, vel *physica*, immorigerorum cuti tristem sensum excitantia, reducuntur, suntque pueris, & ex ebrietate immingentibus multo deteriores; cum voluntatem, per phantasiæ spectra deceptam, ab his in excusationem prætentam, minime allegare queant.

§ 23. Cum hætenus phantasiæ sive imaginatio- nis (cujus, in cudendis discutiendisque morbis, ingentem efficaciam innumeræ historiæ testantur) vires in producenda immictione conspexerimus, quid ea in illius recidivæ generatione valeat, singulari casu ostendemus. Comederat virgo, pubertati proxima, assatam lucanicam, pudendis suillis fartam, retinebatque ab eo tempore ultra mensem lotium decenter, antea noctu pariter ac interdiu invite profusum, non sine maximo honestissimorum parentum gaudio: cujus causam cum optimus Parens dilectæ filiæ per jocum patefaceret, hæc adeo inde alterabatur, ut per conceptam ex obscæno ferculo nauseam, non solum silentem incontinentiam resuscitaret, sed etiam postmodum

dum, quibusvis oblatis fallaciam subesse suspicans, ea cum averfatione fumeret, nec proinde a probatissimis medicamentis levamen mali caperet.

§ 24. Adduximus in antecedentibus intemperiem frigidam, variasque retentricis facultatis læsiones, ad quas, *morbi maligni*, functionibus principalibus ruinam minitantes, aliique sensus atque motus instrumenta afficientes, referendi sunt. An vero cum Pisone, l. c. sphincterem *per consensum* laborare, dici debeat, quando nervi, ad eum abeuntes obstructi sunt, vel cum Riverio statui, eundem musculum sympathice affici, quando vel is solus, vel totum corpus, vel dimidia hujus pars spirituum animalium influxu privatur, aut caloris vitalis exsolutionem patitur, idiopathice autem, cum per morbos alios, e. g. intemperiei frigidae, ejus tonus laxatur, in medio relinquimus; terminum *causae privativae* significantiorem aestimantes; cum contra ea *positivarum causarum* vis in plerisque *conformationis* atque *integritatis vitiis* magis eluceat.

§ 25. Rara autem est *nativa vesicae angustia*, ut homo ne modicam quidem quantitatem urinæ continere, sed per horas eam, interdium quidem voluntarie, noctu autem involuntarie reddere cogatur. Talem concludebat D. D. Præses adesse in puero aliquo trienni, cum diæta optima, & inculpabilis reliqui corporis habitus, mictusque indolens nullam alicujus acrimoniae lotii crebram emissionem urgentis suspicionem concederent, & per litus pingues cum emollientibus aliis pubi continue applicatas adhibitaeque a parentibus bona verba, minis subinde mixta, æger ab

initio per horæ octavam partem, postea diutius cum labore & anxietate, mictionem instantem, reprimeret, donec vero spatio trimestri elapso, eousque vesicæ parietes ampliarentur, ut intra diem naturalem vix ter quaterve sui depletionem poscerent. Incurabilis contra ea procul dubio fuit incontinentia, quam cl. Merklinum descripsisse meminimus; ubi ex genitalium, utrumque sexum confuse exhibentium, foramine, adstrictionis haud capace, urina indefinenter fluxit, vicinam cutem prorsus erodens, naresque insipientium ingrato odore graviter offendens.

§ 26. *Solet etiam, verbis Sennerti, urina interdum præter voluntatem reddi, cum abdominis musculi valde convelluntur, (exemplo epilepticorum) ut urina ob eorum constrictionem ventrisque compressionem ex vesica propellatur: quod etiam contingit, si foetus jactatum suum corpusculum illi impingit. Quod si vero eadem a tumore vicinæ alicujus partis, vel ab omento obesorum, uteroque gravidarum premitur, tunc itidem in collectionis retentionisque munere impeditur. Idem forsan a calculo quoque majusculo, intus hærente, contingere potest: quamvis, frequentius inde dysuria & ischuria oriatur, si is cervici incubuerit, ut æger, capiti insistens, cruribusque cælum versus protensis, mejere cogatur. Quod si vero calculus minor irregularis figuræ, aut ejus fragmenta latiuscula in collo subsistunt, ut sphincter ostium exacte claudere nequeat, tunc haud cessat emanare, quicquid liquidi ex renibus in cisternam microcosmi per ureteres depluit. Neque enim quod*

Mercatus aliique, veterum sententiæ adhuc addicti, lectoribus suis persuadere cupiunt, vesica per *fibras* quasdam *obliquas, peculiarem* lotium *continendi facultatem*, a sphincteris *potentia* item *retinendi*, plane distinctam obtinet, ut ejus beneficio aliquam portionem humoris in sua cavitate asservare queat, etsi cervicis meatus semper hiet, nec prorsus inanis evadat, nisi fibræ tonum suum amiserint. Repugnant enim talia situi, structuræ & operationi hujus visceris, quod fundum in sublimi, cervicisque portam in profundo, ostia ureterum huic multo propiora quam isti, & omnis ordinis fibras ad coarctationem machinæ contentique laticis extrusionem paratas habet.

§ 27. Qui disjunctionem ossium pubis in partu, merito a paucis creditam, possibilem statuunt etiam vesicæ, ipsi adhærentis substantiam distrahi adeoque conformationem notabiliter lædi concedent. An vero ut Zacuto placere videtur, simile quid vertebrarum lumbarium distorsio, sive angulosa, sive *circularis*, ad *intra* vel *extra* ea fit, aut os sacrum ex sede sua motum, *positive* suoque contactu producere queat, in medio relinquimus, incontinentiam, inde dependentem, a privativa origine magis, a nervorum scilicet influxuque spirituum animalium læsione derivantes: cum absque ulla dislocatione per solam concussionem eam fieri, inde plurima lapsuum, contusionum exempla mulier doceat, quæ iratum maritum, in cameram fugiens, natibus & dorso januæ appressis, quo poterat conatu, irruenti persecutori obnitebatur; donec hic, pessulum intus obductum ratus,

securis valido ac penetrante ictu portam clausam feriens, nervos lumborum atque ossis sacri uxoris adeo concuteret, ut ipsam per multos menses motu atque sensu crurum, alvique & vesicæ continentia spoliaret, nulla in dorso læsionis notula apparente.

§ 27. Orificium vesicæ bis ulceratum vidit Salmuth C. 1, observat. 8, autorem mictus involuntarii, quem una cum uteri prolapsu ex ulcere, a partu difficili contracto, ortum, repositoque & sanato utero perfecte sublatum describit Th. Bartholinus, histor. 2, Cent. 4. *Emictionem*, ut vocat Fernelius, involuntariam annotavit, Conf. 62, potissimum dormienti, sine sensu obtingentem postquam, ad tollendam gravem ischuriam, immisso in virgam cathetere musculus, cervicis os obsignans, divulsus fuit, sanguisque copiosus emanavit. A tenui gladio, lateri dextro lumborum prope vetebram ultimam infixio, militem cruris sinistri usu & mictione arbitraria privatum vidit D. D. Præses, ex urina cruenta vesicæ cervicem læsum concludens.

§ 29. Omnium frequentissima sunt incontinentiæ, a partu facili difficilique originem ducentes, quando improvidæ obstetrices digitos non orificio uteri, ut decet, interno, sed urethræ ostio, isto tempore ab ordinario suo situ, quem alias sub clitoride, intra nymphas, extra vaginam obtinet, introsum tracto inferunt, & sphincterem vesicæ eousque distrahunt, ut is, amisso tono, postmodum urinæ perpetuum elapsum concedat. Rejjicitur tunc culpa in angustiam viarum & magnitudinem fœtus, una cum uteri collo

urethram quoque nimis distendentis, acquiruntque errantes ex commentario B. Waldsmidii, in Cas. 23, lib. 4 Timæi, patrocinium suæ excusationis satis speciosum; quod tamen eas minime tueri valet, si consideramus (1) non solum vaginam uterumque ipsum, cum suo ore interno, enormiter distenta, post partum ad pristinum statum, (nisi præ. nat. quædam causa obstiterit) facileredire, sed etiam (2) sphincterem a collo uteri per urethram distingui, ut hæc potius, quam ille in partu distensionem aliquam sustinere cogatur; (3) nec mulieres, ad ruptionem vaginæ atque perinæi parturientes, aut ab inusitata molis fœtibus, per periti embryulci manus atque instrumenta liberatas, impuro ejusmodi fato subjici, quod illæ sustinere coguntur, quæ imperitas obstetrices, aut inepta instrumenta experiuntur: evincentibus dictorum veritatem infinitis exemplis; quibus paginas implere, instituti nostri ratio non magis permittit, quam tot tristes lithotomorum, ad hoc malum excludendum directas operationes, passim a chirurgis annotatas, commemorare; cum, aliis missis, ad prognosin festinandum sit.

§ 30. De indole incontinentiæ urinæ Fonseca, multa paucis complectitur verbis, quando Tom. 2, Conf. 97, eam *sordidum magnumque ratione resistentiæ atque durabilitatis morbum* vocat, qui per se quidem lethalis non est, nisi, quæ ipsum produxit causa, simul etiam alias nobilioresque functiones læserit. Absque his enim si fuerit, neutiquam istis Medicis adstipulamur, quos Solenander, loc. cit. *non citra rationem consignasse* scribit, *eum tethalem esse, si quando a causa*

procatartica, id est externa aliqua, ut percussione aut casu fiat; cum contrarium quotidianus usus doceat.

§. 31. Lævior autem, unanimi medicorum consensu, hujus species habetur, quæ dormientibus contingit, quia illa phantasiæ tantum ludibrium existit, & vix accuratam *ἐνυπνίσιος* definitionem admittit. Huic, a sphinctere refrigerato orta, proxima est; modo nervi eorumque origo fuerint sine labe. Horum enim vitio si acciderit, Galeno iudice, gravius malum, & non tantum vesicæ, sed universo quoque corpori, vel minimum partibus inferioribus, irroratione nectaris animalis spoliatis, interitus imminet. Superficiarium vulnus, a cathetere vel calculo acuto cervici inflitum, hunc omnino citius ad pristinum vigorem redire permittit, quam si *ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἐρυαῖς* cultro ejus substantia penitus dissecta, aut ab extracto calculo majori dilacerata esset. Quamvis enim hodie vulnera vesicæ non amplius, ut olim, inter incurabilia numerentur, & præter Excell. Bohnium aliosque, etiam DD. Præses studioso, ex monomachia, & puellæ rusticæ ex lapsu in cultrum, sine vagina appensum, hypogastrium circa regionem pubis pertusum, ut lotium ex eo flueret, absque difficultate sanam viderit: vix tamen *musculi circularis fibra*, propter continuum effluxum salis liquoris, conglutinantur, ut potius in seipsas abeuntes, callumque tandem obducentes, indelebilem hiatus relinquant; ut Iuveni, ex quo lapis, ℥vj pendens, extractus fuerat, accidit, apud Scultetum *obs. 66.*

§. 32. Ex observatione Practicorum constat, ipsam *etatem* quoque ingens circa prognosin discrimen

men gignere. Neque enim promiscue, ut Forestus scribit, in Schol., obs. 21, lib. 25, *infantes, quamvis iis non succunatur, etate accrescente, per se curantur*; cum, nisi hoc assertum secundum §. 3. explicetur, proculdubio contrarium Assertori pariter ac aliis frequenter usu venerit: sed tantum ex comparatione infantium cum senibus instituta, omnino per ea, quæ in antecedentibus adduximus, *bis* minor spes curationis, quam *illis* reliqua videtur. Cum enim, ex Sennerti sententia, infantibus & pueris, quando *corpus siccius evadit, musculi robustiores fiunt*, & (NB) pudoris major ratio habetur, permictio stragulorum sine Medicamentis cedat, idque 4. Timæus lib. 5, c. 22. exemplo clare probet, contra ea *in senibus*, verbis Riverii, l. c. *immedicabilis eadem est; ob exsuperantem humiditatem & caloris vitalis exsolutionem, qua irreparabilis*: ut proinde, verbis Foresti, l. c. *uxoribus (juvenculis sc. & delicatioribus) filiis (male moratis) servis abominabiles fiant*. An vero præcise affectio ejusmodi, quæ ante annum vigesimum quintum non tollitur, in curabilis æestimanda sit, magni in arte nostra viri Riverius & Ettmullerus id ipsum asserentes, declarabunt.

§. 33. Est etiam morale restitutionis impedimentum, *avaritia*, scil. in Medico non minus, quam ægrotante annotanda, quando Lotichius lib. 4, c. 5. obs. 12. fatetur, se uxori Capitanei Mindensis post membratim factam extractionem foetus per sexennium, molestissimam urinam retinenti, varia remedia, ab ægra non infructuosa deprehensa, præscripsisse, sed ab ulteriori curatione destitisse *cum promissi luculentissimi honorarii spes falleret*. §. 33.

§. 34. Quod si tandem mictus involuntarius aliis morbis supervenerit, nisi delirantibus & viribus adhuc valentibus contigerit, plerumque lethalem resolutionem denunciat. Hinc quam triste indicium præbeat in febribus, phrenitide, & morbis rigentibus, ex Hippocratis Prorrhēt. lib. I. c. 4, §. 3, & Coac. prano. c. 1, §. 28, & c. 5, 79, edit Lind. discere licet.

§. 35. Proposuimus in antecedentibus varias *ἐνσπῆσιος* causas, ut methodo multiplici affectui occurrendum esse pateat. Fit enim aliquando, ut sola *expectatione* contenti esse debeamus; donec scilicet post partum *uterus*, & in obœsis, ad maciem per morbos, curas, labores, famem aliosque marcescendi modos redactis, *omentum* vesicam premere desierint; aut pueris iudicium, indecoram esse lecti inundationem, dicitaverit. Oleum enim atque operam, Sebitii verbis, perderet, qui in teneriori ætate per Medicamenta aliquid tentaret, antequam ex continuo stillicidio sphincteris statum p. n. & ex clamoribus, acrimoniam humorum auxilium postulare, cognoverit. Nemo quoque curationem ægri ex febre maligna, aut ob humorum sub *δυσανεξίαν*, aut a spinæ lumborum ossisque sacri distorsione *imminentis* sperabit, nisi *hec* reposita, *illa* emendata, *istaque* sublata fuerit.

§. 36. Sunt igitur ubivis non tantum causarum remotarum pariter ac propinquiorum indoles, sed vires quoque ægrotantis observandæ. Haud enim, sufficit tonum vesicæ ab intemperie, hoc est, ab excessu vel defectu qualitarum primarum secundarum atque tertiarum corruptum, per contrarias restituere, conformationisque & solutæ unitatis, consuetudinis item,

de horum vitia corrigere; sed laborandum quoque est, ne aliunde noxa agrotanti occasio nascatur, & imprimis ut *vitalis facultatis* robori in tempore, per interna atque externa remedia, justumque sex rerum n. n. regimen prospiciatur.

§ 37. Prolixum nimis esset, in genere nunc cuncta persequi, breve specimen inaugurale, haud vero librum edituris; quapropter *fontibus remediorum*, recepto ordine, animura intendentes, in Chirurgico VSem commendatam invenimus, ut scil. § 10 notata humorum aberrationes corrigantur, deinde ne sanguis, ex contusione stagnans, vesicæ per prementes grumos, totique corpori per putridam corruptionem noceat. Quem in finem non levis quoque cucurbitularum atque frictionum usus erit; quia calorem partium deficientem suscitant, quodque fluidum debet esse, tale reddunt, & ad loca, a Medico signata, ducunt. Ut autem copia materiæ morbificæ paulatim minuatur, & a vesica derivetur, *fontanellis* artus onerentur, ex quibus Acostram plus levaminis, quam ab aliis remediis sensisse, Merzatus asserit.

§ 38. Pro luxata spina distortoque osse sacro nota sunt *scammum* Hippocratis, a Sculteto depictum, & alia organa, a Galeno, Avicenna, Paulo, Celso, Tagaultio, Hollerio, Aquapendente, Vidio, &c. laudata, ubi & apud Zacutum modus, restitutas partes per focus, litus & emplastra tractandi, invenitur. Vulnere vesicæ sanandi rationes ex lithotomiæ scriptoribus petuntur. Calulus, cervici impactus, per catheterem repellitur in marium vesicam, in foeminis extrahitur ope speculi & forcipis.

§ 39. Ut in sequiori sexu urinæ via, imprudenter dilatata, coarctetur, profunt equidem, inter externa præsidia, *annuli & globi*, adversus prolapsum uteri usitati: sed solet DD. Præses Auditoribus suis massam, ex filis cannabinis, ad figuram panis biscocti compactam, albaque cera obductam ostendere, qualem aurigæ uxor, jam ultra viginti annos in vagina gessit, cujus sphincterem obsterix irata, unco ferreo, a lampade olearia abrepto, foetus extractionem moliens, dilaceravit. Incessit, hujus instrumenti ope, hætenus sicca, admisitque virum sine impedimento ab hac machina, quam digito versus uterum leniter attollit, quando lotium emittere cupit.

§ 40. Pro virginibus & reliquis, nondum enixum expertis, requiruntur aliæ machinæ, laudatque Fonsæca vesicam bubulam, quæ, genitalibus rite applicata, emanantem laticem excipit. Multoque com-

modior est arcula, ab Hildano c. 21, Tr. de Lithot. p. 739 depicta, matulae potius vices sustinente. Ne vero cutis labiorum & perinaei, a salivali liquore semper madens, erosa ulceretur, aut, quod Heerius in foemina Malmundariensi, obs. 14, p. 144 annotavit, verrucis denso agmine obducatur, opus erit simul siphone, urethrae immittendo. Pro virili sexu exhibet modo citatus Hildanus, Cent. 6, obs. 54, varias lagenulas terreas stanneas cupreasque, colem excipientes; sed praestat vesica bubula cum annulo, ut obs. 55, senis decrepiti iconi appensa videtur, potestque humiditas ejus, ab autore accusata, facile per circumvolutum linteum evitari.

§. 41 Solent saepe numero pueri, virgas rimentes, vinculo peni injecto, urinam in somno effluxuram, cohibere; sed quam male quibusdam talis ligatura cesserit, plurimae historiae testantur: ex quibus hac vice tantum ex Ephem. Germ. Dec. 1, An. 2, obs. 204, (in qua D. Bierling per varia insueta loca erumpentium urinae exempla adducit) puerum allegabimus, ex istiusmodi praeservatoria ligatura putrefactionem dimidii membri, & circa ejus radicem novum ostium urethrae reportantis. Enimvero cum istiusmodi curationes merito palliatarum nomen gerant, videndum est, quousque pharmacia aegrotis salubria auxilia suppeditet. Ordiendum igitur est ab *evacuantibus*; quibus raro utendum putat Primerosius, imprimis apud infantes, & roborantia potius adhibenda esse: sed *semper necessaria* ead. censet River. l. c. p. 432, & praescribuntur passim a Practicis, non solum, ubi humores *quantitate*, infantibus familiari, peccant: sed etiam ubi *qualitas* vitiosa in adultioribus obvia est. Cum malum hoc in senes a summa acrimonia, ex aromatum abusu contracta, dependeret, praemittebat Hildanus c. 6, obs. 53 temperantibus & roborantibus *lene purgans*. An vero quod Forestus & Riverium facere videmus, cataracticis *adstringentia* ex myrobalanis admiscere, aut ex Fossecae consilio, pro revulsione humorum a partibus inferioribus ser l. quater quovis mense vomitum ciere deceat, merito dubium videtur.

§ 42. *Enemata & suppositoria* necessaria censet Timaeus, Epist. 24, lib. 3 p. 700, si ab adstringentium usu, e. g. a Clareto Forestiano, ibidem ex lib. 10, obs. 92 excerpto, alvus segnior fieret. Sed quia cum circumspectione talia sunt adhibenda, non dum ventrem movent, simul vesicae facultatem excretricem stimulent, adeoque malum augeant, hinc clysteres maximi momenti aestimat Mercatus, ex nervinis salvia, primula veris, ruta, flor. chamom. stœchad. rosar. ol. castorin. myrtine modicaque theriaca paratas, ut a mole tepidi atque pinguis humidi intestinum reclusum recludatur, ab exhalationibus balsamicis autem vesicae sphincter roboretur, & reliquarum muscularium fibrarum spasmodicae contractiones a theriacae vi anodynae cohibeantur.

§ 43. Rectius postmodum ad *sudorifera*, corpus ab humido superfluo tonum partium laxante, materiamque caloris vitalis opprimente, liberantia transitur, quae ex decocto rad. sarsaparill. chinae. ligni sassafir. quajaci, juniperi, Santali, &c. concinnata, non huic solum indicationi satisfaciunt, sed simul saluberrima, aliquoties in antecedentibus accusata, suis salibus invertunt partim partim moleculis gummoso resinosis obtundunt & per poros extra corpus proscribuntur.

§ 44. Reliquum curationis momentum absolvitur *alterantibus*, communi

consuetudine ita dictis, iisque internis atque externis, quæ magno numero apud Practicos extantia, in tres equidem classes discescuntur, ut alia sphincteris tono, ex quacunque causa læso, fringendo, roborando & sanando potissimum interserviant; alia vero magis stimulos, inopportune contractionis vesica autores respiciant; & rursus alia *specificæ facultate* hoc malum superandi prædita credantur: sed ut plurimum tamen in formulis confuse præscripta reperiuntur.

§ 45. Primi ordinis ingredientia, (simplicia sc. de quibus jam agimus) pollent vel *si adstringente plus minus atque traumatica*; e. g. Rad. acor. torment. bistort. Fol. plantag. pentaph. sanic. alchim. hed. arbor. bugloss. equis. quercus. agrim. multis in hoc passu laudatissimæ herbæ. Fl. ros. balauft. Sumach, glandes, gallæ, myrob. nux cupr. myrtill. & omnia ex myrto desumpta, quibus Zacutus, præ cæteris, fluxiones quasvis compescendi virtutem tribuit. Vel *calescente, roborante nervisque amica*, e. g. rad. cyper. enul. galang. zingib. arist. long. calam. aromat. H. menth. calamenth. nepeth. salv. organ. nicot. Fl. hyperic. Rœchad. Sem. viticis rut. perfol. hyper. cardam. cubeb. Nux. mosch. macis, caryoph. cinam. thus ejusque cortex, myrrha, mastix, curabe, lign. aloes, castoreum &c.

§ 46. Secundi ordinis sunt *absorbentia* ∇ *ea, demulcentia sive temperantia, gummosa, gelatinosa*, e. g. Rad. figill. mar. consol. maj. liquirit. corall. ocul. 69. ∇ figill. medull. saxor. insigniter ab Ettmullero commendata, sem. pap. alb. 4 frig. cydon. G. arab. tragac. sangv. dracon. ebur, spod. quibus suo merito ∇ Iapp. ob adstringentem simul ac temperantem energiam annumeranda, cujus laudem in hoc morbo ab illustr. VVedelio, Patrono meo atque Promotore æternum colendo, in Eph. Germ. Dec. 1, Anno 2, obs. 129, & in *Diabete* a DD. Dethardingio p. 72, App. Dec. 3, An. 8, deprædicatum legimus.

§ 47. Tertium ordinem constituunt Guttur galli, pudenda suilla, erinaceus combustus, mures elixi vel torrefacti, vesperilionos, cerebrum, testiculi & stecus leporis, pulmo hædi, vesica bubula, suilla, ovilla, lingv. anseris, pisces in lucio reperti, cochl. cum sua test. combust. &c. de quibus similibusque licet abjecte Mercatus, Primerosius, Hildanus, Timæus, & alii judicent, quod (1) vulgi sint remedia, [2] non ubique spei satisfaciant, & [3] penitus considerata, vel ad alterutram vel utramque præcedentium classem referri queant &c: neutiquam tamen ea mox pedibus conculcanda esse putamus; cum, si non de omnibus, de una tamen alteroque eorum antiquissimi pariter ac recentiores honestissime sentiant. Ex his guttur galli, [Gisberto Hollando a Solenandro adscriptum, cum tamen jam a Galeno laudetur] B. Ettmullerus unum ex decantatissimis specificis, ab omnibus commendatum vocat. Pudendis suillis affatis coctisque se nullum præstantius & certius plus simplici vice invenisse scribit DD. Moellenbroccius, Eph. G. Dec. 1. An. 2. obs. 21. De murium utilitate legantur, quæ B. Fehr, Eph. Germ. Dec. Ann. 2, 6, obs. 33, scitu digna habet.

§ 48. Plura afferre testimonia, institutum nostrum non permittit; hinc sufficiat in præsentia formulas quasdam, ex præcedentibus nonnullis concinnatas, exhibuisse, e. g. Magni VVedelii, ex Comp. prax. clin. exempl. lib. 5, conf. 23, R. Pulv. ad micr. in lect. Montagnanæ \mathfrak{z} ∇ japon. mastich. el. ana \mathfrak{z} j. M. Pulv.

Pulv. Montagnanzæ est calis R. Tunic. stom. gall. ℥℥, H. agrim. ℥j, erinac. ũ.
 ℥vj. M.F.P. Dos. ℥j, cum vino vel iure. B. Sennerti: R. Thur. mastich, corall.
 rubr. spod. ana ℥ij, Cubeb. caryoph. mac. cãrdam. cyper. pip. long. zinzib.
 gutt. gall. ana ℥j. M. F. Pulv. vel R. Gutt. gall, toft. ℥℥, cin. erinac. ℥vj, thur.
 ℥ij. M. Dos. ℥j, hor. i ante cib. c. vin. l, jure. Ioelis: R. Testic. lep. toft. gutt.
 galli vesic. porci cremat. ana ℥℥, gland. ℥ij, sem. rut. fol. nepeth. ana ℥j. Pul-
 vis Nosodochij Augustani, ex Hœchstetteri Dec. 6, conf. 2, p. 656. R. stom. gall.
 mastich. galang. ana ℥j, agrimon. ocul. cancr. alchimill. ana ℥ij, cupul. glan-
 dium ℥ij, nuc myrist. ℥j erin. ũ. sacch. alb. ana ℥j. M. Claretum Riverij: R. Rad.
 Consol. maj. ℥℥, cypr. galang. ana ℥j, fol. plantag. equis. pentaph. c. rad. ana M. i,
 nuc. cupr. calyc. gland. ana ℥iv, Sem. agni, thur. ras. ebor. ana ℥℥, rosar.
 rub. pj. vin. rnbr. ℥iij, inf. per 24 hor. Col. per man. Hipp. add. cinnamom. ℥℥,
 Sacchar. q. s. Dos. ℥iij.

§ 49. Plura videantur apud Præcticos; quorum nonnullos tn. in suorum
 præstitorum relationibus nonnunquam vel data opera, vel ex memoriæ lapsu, &
 veritate recedere, Forestus probat, dum juvenem, quem lib. 10, obs. 92, I. Tien-
 gio, Med. Amstel. sanatum fuisse confessus fuerat, lib. 25, in schol. obs. 22, sua
 ope convaluisse scribit.

§ 50. Inter externa, verbis DD. VValdschmid. Comm. in cas. 32, lib.
 3 Timæi, omnibus remediis præferenda sunt balnea, tam artificialia, quam na-
 turalia. Thermæ siccant, sec. Solenandrum, calefaciunt & roborant locum affectum,
 ad quem admota alia medicamenta vix vel difficulter vires suas insinuant. Artificialia
 parat laudatus VValdschmid ex nervinis, adstringentibus & siccantibus, quibus
 sulphur pro re nata & C.V, admiscet, additque cautelam, ut talia non statim
 post partum, sed, elapsa demum una vel altera hebdomade, adhibeantur. At
 frustra hæc de iis dicta esse videntur, quæ quamdiu lochia fluunt, sui mali ignaræ sunt,
 illisque demum cessantibus, ex continuo stillicidio mortificantis lotii sciunt, quantam
 labem in partu acceperint.

§ 51. Balnea supplent, suo modo, forus, ex balnei speciebus facti, & unguen-
 ta, litus &c. Instar quorum omnium sit VVedelianum, ex c. l. mutuatum. R. Ungv.
 nervin. sumach. ana ℥℥, O. petr. alb. ℥j. castor. q. s. M. ad illinendum umbilicum,
 pubem, lumbos & perinæum. Ettmullerus laudat ol. abs. menth. nardin. castor.
 Bals. Peruv. quibus varia destillata jungi queunt. Nec inutile erit, emplastris li-
 tuum virtutes in locis unctis conservare & augere, ex mastiche scil. tacamahac.
 ladan. styrace, terebinth. ol. myrtin. laur. mastich. &c. coagmentatis. Solent etiam
 cum notabili fructu injectiones per syringam fieri decoctorum traumaticorum, de-
 mulcentium, nervinorum, a circumstantiarum conditione iudicatorum

§ 52. Colophonem curæ imponent Amuleta, estque memorabile valde,
 quod Heerius in obs. supra citata p. 146, de Bufonis vivi, in nova olla combusti
 inque sacculo de collo suspensi felici operatione in fœmina, ab obstetrice, inque
 viro, a lithotomo sphincteres læsos habentibus commemorat. Vult Boyle in Phi-
 los. experim. ut sacculus reg. stomachi attingat.

§ 53. Plura non addimus auxilia, nec etiam circa dietæ regulas moram ne-
 stimus, utpote ex superioribus facile formandas; verbo tantum aurei moniti, de